



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

XXXVII. Praeceptum Ludovici Pij Imperatoris pro Ecclesia Parisiensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

in ruga sancti Germani, neque in aliis minoribus viis quæ tendunt ad monasterium ejusdem prænominati sancti Germani, ullus Missus dominicus aliquam judiciariam potestatem ibi exerceat, neque aliquem censum, neque tipaticum, neque foraticum, neque ullum teloneum recipiat; sed Missus Episcopi secundum propriam voluntatem ordinet; & Advocatus ejusdem Ecclesiæ tam de ipsa terra sancti Germani quam de prædicta terra sanctæ Mariæ in insula posita rectam ac legalem rationem reddat sine aliqua judiciaria potestate inibi vel banno, nisi in mallo legitimo vel regali placito, sicut lex Ecclesiæ præcipit. De liberis autem hominibus qui super terram ipsius prædictæ Ecclesiæ Parisiæ commanere videntur, ac eam persolvere noscuntur, volumus ut sicut in præcepto Pippini avi nostri continetur, nullus in hostem pergat nisi unâ cum Episcopo ipsius Ecclesiæ, vel secundum suam ordinationem remaneat; & neque de ipsis hominibus supra terram sanctæ Mariæ manentibus, aliquem censum vel aliquam redditionem aliquis de capite eorum accipere præsumat quæ à longo tempore dare consueverant & futuris temporibus persolvere debent; sed quicquid inde sicut noscitur exigitur aut sperare poterit, per omnia pro amore Dei & sanctæ Dei genitricis Mariæ præfati Ynchado Episcopo suisque successoribus libenter concedimus, & gratuito animo auctoritate nostra confirmamus ut nullam etiam distractionem de hominibus super terram sanctæ Mariæ manentibus judiciaria potestas exercere præsumat, nisi, ut supra diximus, in mallo legitimo Comitum, & ibi unâ cum Advocato Parisiæ Ecclesiæ venire non differant, & rectam rationem ac legalem justitiam adimplere cogantur. Hæc verò auctoritas ut firmior in Dei nomine habeatur, & à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris diligentius conservetur, manu propria eam subter firmavimus & anuli nostri impressione signari jussimus.

Durandus Notarius ad vicem Frudigisi recognovit & subscripsit.

Datum x v. Kal. Novembris anno Christo propositio v 11. imperij Domini Ludovici piissimi Imperatoris.

Actum Aquisgranum palatij publicè in Dei nomine feliciter. Amen.

### X X X V I I.

#### *Præceptum Ludovici Pij Imperatoris pro Ecclesia Parisiensis.*

An. 110.  
Ex eodem  
charulatio  
Ecclesiæ  
Parisienſis.

**I**N nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Ludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Si petitionibus sacerdotum in quibuslibet necessitatibus ecclesiasticis nostra auctoritate sublevandis consulimus, & ad ministeriam eorum liberis exequendum opem ferimus, à summo Pontifice Domino nostro Iesu Christo æternæ remunerationis largiri nobis præmia non ambigimus. Proinde notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris præsentibus scilicet & futuris quia vir venerabilis Inachus Parisiæ urbis Ecclesiæ Episcopus detulit se-

renitati nostræ quendam auctoritatem quam Dominus & genitor noster bonæ memoriæ Karolus gloriosissimus Imperator ad petitionem prædecessoris sui Enchenradi ipsius civitatis Episcopi fieri jussit; in qua continebatur insertum quod per incuriam & negligentiam custodum ipsius Ecclesiæ strumenta cartarum exusta vel concremata sive perita fuissent, per quæ scilicet quòd plures nobiles viri pro remedio animæ suæ res & mancipia ad ipsam delegaverunt Ecclesiam, & quòd idem genitor noster per eandem confirmasset auctoritatem ut res & mancipia quæ in eisdem instrumentis inserta fuerant, & unde prædicta Ecclesia eo tempore legibus vestita erat, jure ecclesiastico securè & quietè rectoris ipsius Ecclesiæ futuris temporibus tenerent atque possiderent. Petit etiam prædictus Inachus serenitatem nostram ut pro mercedis nostræ augmento & firmitatis studio eidem Ecclesiæ more paterno nostram auctoritatem super hoc negotio fieri juberemus, per quam modernis & futuris temporibus res & mancipia quæ per præfata strumenta cartarum eidem tradita fuerant Ecclesiæ, firmiter, quietè, ac securè à prælatis ipsius Ecclesiæ haberentur vel possiderentur. Nos itaque inspecta eadem auctoritate Domini & genitoris nostri, libuit nobis ejusdem venerabilis viri petitionibus assensum præbere & paternæ auctoritati hanc quoque nostram jungere auctoritatem. Præcipimus ergo atque jubemus ut omnes res & mancipia quæ ex liberalitate eisdem collata fuerunt Ecclesiæ, nostris & futuris temporibus per hanc nostram auctoritatem rectores ipsius Ecclesiæ absque ullius inquietudine vel injusta interpellatione quietè & securè habere vel possidere valeant. Quòd si fortè super eisdem rebus ante prædictam exustionem à prælatis ipsius Ecclesiæ jure possessis quaestio orta fuerit, ut pro eis legaliter in foro discipari necesse sit, ita per hanc nostram auctoritatem eisdem res & mancipia ipsius Ecclesiæ defendantur sicut per eadem instrumenta, si igni absumpta non fuissent, legibus defendi poterant. Hæc verò auctoritas ut firmior in Dei nomine habeatur, & à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris diligentius conservetur, manu propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici piissimi Imperatoris.

Durandus Diaconus ad vicem Frudigisi recognovit.

Data i v. Kal. Novembr. anno Christo propositio v 11. imperij Domini Ludovici Imperatoris. Actum Carisiaco palatio publiciter in Dei nomine. Amen.

### X X X V I I I.

#### *Præceptum Ludovici Pij Imperatoris quo confirmat auctoritatem Archiepiscopi Senonensis in monasteria diaecesos Senonensis.*

**I**N nomine Domini Dei & salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Si illius amore cuius munere ceteris mortalibus prælati sumus, soli Deo sub sancta militantis ad laudem valliam.

An. 111.  
Authenti-  
cum exat  
apud e. v.  
An. Vio-  
nem Heto-